



Q. B. F. F. F. Q. S.

SUMMIS AUSPICIIS
REI PUBLICAE BOHEMORUM
CONSILIUM STUDIORUM
ACADEMIAE ARTIUM MUSICARUM JANÁČKIANAE BRUNENSIS

iustum ac laudabilem morem sequens, quo viri excellenti ingenio praediti,
qui de litteris et artibus colendis optime meruerunt, dignitatibus academicis ornantur,
Facultate artis dramaticae suadente uno animo decrevit,
ut vir illustrissimus

ADALBERTUS JASNÝ,
DIE 30° M. NOVEMBRIS A. MCMXXV° MORAVIA KELČ
NATUS,

qui imperator gregum cinesigraphicorum nec non scaenicorum
exegit sibi monumentum aere perennius,
fabulis cinematographicis scribendis alios longe antecedebat,
rei cinematographicae imaginumque luce impressarum summum se artificem praestabat
atque discipulos tota paene Europa et in Civitatibus Americae Foederatis
artes suas academiis edocebat,

HONORIS CAUSA IN NUMERUM DOCTORUM
ACADEMIAE ARTIUM MUSICARUM JANÁČKIANAE BRUNENSIS RECIPERETUR.

Quod consultum cum decreto Publicae Commissionis Bohemicae Dignitatibus Academicis
Tribuendis probatum esset,

IN SOLLEMNI CONCILIO VIR SUPRA LAUDATUS

DOCTOR ARTIS DRAMATICAE
HONORIS CAUSA

A NOBIS CREATUS AC RENUNTIATUS EST
omniaque huius dignitatis iura et privilegia in eum sunt collata.

Datum Brunae die 24° m. Maii a. MMXIII°.

In cuius rei fidem hoc diploma conscribendum et Academiae sigillo roborandum curavimus.

Rector

Facultatis Artis Dramaticae
Decanus

Promotor